

Et eodem anno (1245) Ludewicus dux Bavarie interfecit uxorem suam. Item anno domini 1248. vinum maxime acidum crevit. Et sequenti anno iterum Wormacia uritur quasi media pars, vigilia Philippi et Jacobi apostolorum.

(Unter Alexander IV.) Huius tempore obiit Richardus episcopus Wormaciensis de Duna oriundus.

(Unter Wilhelm.) Item anno domini 1268. sabbato post epiphaniam domini fuerunt fulgura et tonitrua magna.

Anno eciam domini 1269. fuit predictus Richardus Romanorum rex in Wormacia anno regni sui 12, ut in quodam privilegio.

(Unter Urban IV.) Huius eciam temporibus, videlicet anno domini 1262, lectura domini Hostiensis fuit completa.

(Unter Rudolf.) Rudolfus vero Romanorum rex tandem senio confractus convocatis apud Franckenfurd principibus, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, marchionibus et aliis baronibus magnum festum faciens, nisus fuit electores inducere ad filium suum Albertum in regem coronandum. Sed nil proficiens cito post obiit anno domini 1291. in civitate Spirensi, ibique appositus est ad antecessores suos divos augustos in die divisionis apostolorum. Hic Rudulffus a nullo pontifice potuit imperialem obtinere coronam, licet plures eius tempore fuerunt pontifices. Hoc eciam tempore scilicet anno domini 1291. Gorgonii factus est terre motus. Et sequente anno iterum Wormacia exusta fuit. Huius eciam tempore scilicet anno domini 1291. obiit Symon episcopus Wormaciensis, qui sederat annis 8. Cui successit Eberhardus ut supra ¹⁾. Hoc eciam anno fuit ²⁾ Ludewicus dux Bavarie et comes palatinus Reni.

(Unter Johann XXI.) Et eodem tempore, videlicet anno domini 1277, obiit Eberhardus episcopus Wormaciensis, qui sederat annis viginti, in Monte Pessalano. Cuius ossa sunt reducta usque in Otterburg monasterium ordinis Cisterciensis.

(Unter Nicolaus III.) Huius tempore Albertus Magnus episcopus Ratisponensis obiit anno domini 1280, sepultus Colonie apud Predicatores in choro.

(Unter Martin IV.) Huius tempore Martinus ordinis Predicatorum penitenciaris domini pape et cappellanus cronicam Martinianam composuit, Martinianam vocatam ex nomine proprio ac Martini pape. Huius tempore scilicet anno domini 1283. obiit Fredericus episcopus Wormaciensis, qui sederat annis 6.

(Unter Nicolaus IV.) Item anno domini 1293. obiit Eberhardus de Stralenberg electus Wormaciensis, primo pre-

1) Oben kommt aber nichts davon vor; vielleicht ist 'infra' zu lesen.

2) 'mortuus' scheint nicht zu ergänzen, denn Ludwig starb erst 1294.